



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Sōkratus Scholastiku Kai Ermeiu Sozomenu Ekklesiastikē Istoria

Socrates <Scholasticus>

Mogvntiae, 1677

Caput VIII. De ultimo Pauli exilio, ejusque obitu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14233**

exilium amandaret. Ex quo tamen exilio non ita multo post Emesam eum transtulit, sive ut Constantinopolitanis, qui Paulo inprimis studebant, gratificaretur, sive, ut dixi, Persarum metu, qui Singaris assidue imminebant. Certe haud multo post circa id castrum ingenti praelio Persæ cum Romanis conflixere. Cæterum Ariani seditionem illam, de qua dixi, cædesque hominum in ea factas, uni Paulo adscribent, ut testatur epistola Synodica pseudodynodi Serdicensis: *Sed & de Paulo Constantinopolitana civitatis quondam Episcopo post reditum exiit sui, si quis audierit, perhorrescet, & multo post. Asclepias vero cum ad Constantinopolitanam civitatem propter Paulum venisset, post immanitatem rerum atrocitatemque commisit, qua media in Ecclesia Constantinopolitana gesta sunt post mille homicidia, qua altaria ipsa humano sanguine conquinaverunt, post interfectiones fratrum exinctionesque Gentilium, hodieque cum Paulo, cuius causa hæc gesta sunt, communicare non cessat.*

## CAPUT VII.

*De tertia restitutione Pauli Constantinopolitani.*

SCRIBIT Baronius Paulum civitate sua atque Ecclesia pulsam, Romam ad Julium se contulisse: cumque ab eo literas accepisset, quibus in sedem suam restituebatur eas literas effectum caruisse, quippe cum Paulus non nisi post Serdicensis Concilium Ecclesiam suam recuperaverit. Sed Baronio assentiri non possum. Primo enim falsum est, Paulum tunc temporis Romam venisse, ut in superiori capite demonstravi. Nec verius est, quod asserit Baronius, Paulum Serdicensis Synodi sententia restitutum esse. Certe in epistola synodica Serdicensis Concilii, nulla ejus rei fit mentio. Immo vero Theodorus in libro secundo Historiæ Ecclesiasticæ disertè affirmat, Paulum Serdicensi Concilio minime interfuisse. Obstitisse enim cives urbis Constantinopolitanæ, quo minus eo proficisceretur, veritos scilicet, ne ab Arianis in itinere per insidias interficeretur. Sed & Orientales apud Serdicam Episcopi, in Synodica sua aperte significant, Paulum ab ea Synodo abfuisse, ut rectè observavit Blondellus in libro de primatu in Ecclesia. Jam ergo ante Synodum Serdicensis Paulus Episcopatus sui locum receperat. Quod quidem à Constantio factum fuisse arbitror, vel in gratiam Constantinopolitanorum, qui Paulum præcipuo quodam amore ac studio prolequebantur; vel ob metum Constantis Augusti, qui frequentibus literis ad Constantium missis, ut Paulus, Athanasius & reliqui Orientis Episcopi suas in sedes restituerentur, postulaverat. Sane rationi consentaneum fuit, ut quoniam inter duos fratres Augustos tandem convenerat, ut ad causam Episcoporum judicandam generalis Synodus apud Serdicam congregaretur, Episcopi omnes vinculis atque exilio solverentur, quo libera ipsis facultas veniendi ad Concilium suppeteret. Hanc igitur ob causam, ni fallor, Paulus à Singarenis & Emesano exilio reversus est Constantino-

polim. Unde cum ad Serdicensis Concilium proficisci vellet, à Constantinopolitanis civibus detentus est, ut docet Theodorus.

## CAPUT VIII.

*De ultimo Pauli exilio, ejusque obitu.*

POST mortem Constantis Augusti, quæ contigit anno Christi 30. Ariani omni metu jam vacui, adversus Catholicos Antistites multo gravius quam antehac inlurrexerunt. Ac primum omnium Paulum aggressi, persuadent Constantio, ut illum in exilium eiciat, Macedoniam vero ejus loco in Constantinopolitanam Ecclesiam inducat. Imperator igitur, qui Ariana perfidiae patrocinium palam susceperat, mandat Philippo Præfecto Prætorio per Orientem, ut Paulum è sede sua protinus exturbet. Quæ accepto principis mandato, Hermogenis Magistri militum casu admonitus, rem prudentius aggredi statuit. Ingressus itaque lavacrum Zeuxippi, Paulum ad se accersivit, quasi de publico quodam negotio cum eo consulturus. Qui cum venisset, Præfectus clam per fenestram quandam eum dimisit, & in palatium abripi jussit. Atque inde navigio impositum, in exilium misit Cuculum, Cappadociæ oppidum quod postea minoris Armeniæ contributum est. Ibi cum Eusebiani in arctissimo & obscurissimo quodam loco recluserunt, subtracto ei penitus alimento, ut hominem inedia enecarent. Post sextum autem diem ingressi, cum eum adhuc spirantem reperissent, contortis pallii laciniis strangularunt, quemadmodum scribit Athanasius in epistola ad Solitarios. Et Athanasius quidem hoc Pauli exilium quartum vocat. Ego vero tertium mallem dicere. Nam Singarenum & Emesenum, licet locis diversa sint, pro unico tamen exilio sunt accipienda: cum Paulus à Singaris, quo primum fuerat relegatus, postea translatus sit Emesam. Quod autem Socrates atque Sozomenus scribunt, Paulum à Philippo Præfecto Thessalonicam esse relegatum, dupliciter falluntur, & in loci, & in temporis notatione. Id enim factum esse scribunt paulo post necem Hermogenis, id est anno Christi 342. quo quidem tempore Philippus non erat Præfectus Prætorii. Neque vero Philippus tunc potuit Paulum relegare Thessalonicam, quæ urbs tum parebat Constanti Augusto, non autem Constantio, sub quo Præfecturam gerebat Philippus. Quare verius est, quod Baronius scribit, hæc adversus Paulum à Philippo gesta esse anno Domini 351. quo anno Philippum Præfectum Prætorio fuisse, præter Athanasium docent leges Codicis Theodosiani, ut notavi ad Ammianum Marcellinum. Sed tunc ut dixi, id est anno 351. Paulus non in urbem Thessalonicam relegatus est, sed Cuculum, ut testatur Athanasius. Quomodo enim Thessalonicam relegari potuisset, quæ erat ipsius patria, sicut fatentur Sozomenus & Socrates. Quid magis contrarium, quam patria & exilium. Benigne igitur cum Paulo actum esse oportet tunc cum missus est Thessalonicam. Quid ergo, di-

AA ij

et aliquis. An prorsus falsum erit, quod ajunt Sozomenus & Socrates, Paulum Theſſalonicam veniſſe, atque inde Corinthum proficiſci ſimulantem, Romam navigaſſe. Id omnino verum puto, ſed alio factum tempore: tunc ſcilicet cum Paulus primum depoſitus eſt ac damnatus, ſuſſecto in ejus locum Eusebio Nicomedieneſe. Eo ſiquidem tempore Paulus cum liberam haberet vagandi poteſtatem, Theſſalonicam & Romam & in alias urbes Occidentalis Imperii pro arbitrio ſuo proficiſci potuit, quemadmodum ſuperius obſervavi.

## CAPUT IX.

*Cur Athanaſius inter orthodoxos Episcopos Paulum Conſtantinopolitanum minime recenſerit.*

**M**irari quis non immerito poteſt, quid cauſæ ſit cur Athanaſius in Oratione prima contra Arianos, orthodoxorum Episcoporum indicom texens, qui Nicænam fidem conſtanter aſſeruerant, Pauli noſtri nomen prætermiſerit; quem tamen conſtat pro Nicæni Concilii doctrina ac fide adverſus Arianos fortiter decertaſſe. Certe Athanaſius in oratione ſupra memorata mentionem facit Alexandri Episcopi Conſtantinopolitani. Cur ergo Paulum quoque Alexandri ſucceſſorem ei minime adjunxit? Nec eſt quod quis objiciat, Athanaſium eo loco illos duntaxat Episcopos commemoraviſſe, qui jam fa-

cto funkti eſſent; ac proinde Paulum ab illo præteritum eſſe, eo quod adhuc ſuperſtes eſſet. Hæc reſponſio admitti forſitan poſſet, ſi Paulus Conſtantinopolitanus ſuperſtes adhuc fuiſſet eo tempore, quo prima hæc oratio adverſus Arianos ſcripta eſt ab Athanaſio. Verum antequam eam Orationem, ſeu potius Epistolam ſcriberet Athanaſius, Paulus jam è vivis exceſſerat. Mortuus eſt enim anno natalis Dominici 331. aut 332. ut ad Hiftoriam Socratis obſervavi. Hæc autem Oratio adverſus Arianos ſcripta eſt ab Athanaſio poſt enthroniſmum Georgii, anno Chriſti 356. ſicut in ſuperiore libro annotavi. Alia igitur hujus rei cauſa inquirenda eſt. Neque enim ſine cauſa, aut per negligentiam id ab Athanaſio factum eſſe crediderim. Exiſtimo igitur Athanaſium eo loco de induſtria Pauli nomen prætermiſiſſe, eo quod in Concilio Tyri cum Arianis permixtus, condemnationi ipſius ſubſcriperat, ut ſupra vidimus. Eandem ob cauſam maximi quoque Hieroſolymorum Episcopi nomen ibidem reticuit, licet Macarii Hieroſolymitani mentionem feciſſet. Quod quidem non ulciſcendi animo ab Athanaſio factum eſſe credendum eſt. Procul enim aberat ab hoc affectu Athanaſius. Sed quoniam Athanaſius eo loco illos duntaxat Episcopos commemorare decreverat, qui procul ab omni crimine, & ab omni macula Arianae communionis perpetuo abſuiſſent, idcirco Paulum & Maximam in eo numero noluit recenſere, quos ſciebat in illa apud Tyrum Synodo communionem Arianorum fuiſſe pollutos.

HENRICI VALESII  
OBSERVATIONUM  
ECCLESIASTICARUM  
IN SOCRATEM ET SOZOMENUM  
LIBER TERTIUS.

## CAPUT PRIMUM.

**A**NTE annos plus minus quadraginta, gravis inter Eruditos orta eſt controverſia de ſexto Canone Concilii Nicæni. Ad cujus expoſitionem multa tunc allata ſunt à multis, dum ſinguli Canonem illum ad ſuas partes trahere conantur. Sed cum doctiſſimi homines de Eccleſiis ac regionibus ſuburbicariis acrius inter ſe contenderent, Rufini Interpretationem potius, quam Canonis ipſius verba expoſuerunt. Exiſtit poſtea Joannes Launoſus, magni nominis Theologus, qui haud ita dudum Librum edidit de recta interpreta-

ne ſexti Canonis Nicæni. Verum hic quoque ad eundem, quem priores illi lapidem impigit: Et quod in titulo operis ſui promiſerat, id duabus editionibus implere non valuit. Erroris autem cauſam ei præbuit prava via ac methodus, quâ in ejus Canonis expoſitione uſus eſt. Nam cum Canon Nicæni Concilii exponendus eſſet ſicut à Nicænis Patribus eſt editus, & poſt Græcorum verborum explicationem ordine progrediendum eſſet ad explicationem Interpretationis Rufiniana: contra Joannes Launoſus, primo quidem ſenſum Rufini inveſtigavit, deinde verba ipſa Nicænorum Patrum, juxta eum ſenſum, quem Rufini verbis tribuerat, expoſuit.